 ὅτω καὶ τῶν φίλων τοῖς συνεξαμαρτάνουσι
 πλησιάζοντας, ἀλλ' οὐ τοῖς νοθετοῦσι.
 σὲ δὲ νομίζω τοιυαντίον τῶν ἐγνωκῆσαι,
 τεκμηρίω χρώμενον τῆ πόρι τῶν ἄλλων βου
 II. παιδείαν φιλοπονία. τὸν γὰρ αὐτῶ τὰ
 βέλτισα πράττειν ἐπιτάττοντα, τὸ τὸν αἰ-
 κὸς καὶ τῶν ἄλλων αὐτῶ πῶς ἀρετῶν πῶς
 καλοῦντας ἀποδέχεσθαι. μάλιστ' αὐτῶ πα-
 ροξωθέης ὀρεχθῆναι τῶν καλῶν ὄργων, ἢ
 καταμάθοις ὅτι τὰς ἡδονὰς τὰς ἐκ τῶ-
 των μάλιστ' ἀγαθῶς ἔχομεν. ἐν μὲν τὸ ἕνα
 θυμῶν, καὶ τὰς πλησμονὰς ἀγαπῶν, οὐθὺς
 αἰλύπαι τὰς ἡδονὰς πῶς ἀπεπήγασι. τὸ
 III. δὲ πόρι τῶν ἀρετῶν φιλοπονίαν καὶ σωφρο-
 νως τὸν ἑαυτῶ βίον ὀκονομεῖν, ἀλλ' τὰς τῶ-
 ψαις ἀλικεινῆς, τῶν βεβαιότηρας ἀποδίδω-
 σι. καὶ κἂν μὲν πρῶτον ἡδονῶν. ὕσδρον ἐ-
 λυπήθη

λυπήθημεν. γνῶταῦθα δὲ μετὰ τὰς λύπας
 τὰς ἡδονὰς ἔχομεν. γνῶταῦσι ἢ τοῖς ὄρτοις
 ἔχῃ ἔτω εἰ ἀρχῆς μνημονοῦμεν, ὡς εἰ τε-
 λούτης αἰδοῦσιν λαμβάνομεν. τὰ γὰρ πλεί-
 σα τῶν πρὸ τοῦ βίου, ἔστι αὐτὰ τὰ πράγ-
 ματα ποιεῖμεν, ἀλλὰ τὰ ἀποβαινόντων γνῶ-
 κα διαπονῶμεν. γνῶταῦσι δὲ διότι τοῖς μὲν
 φαύλοις γνῶταῦται τὰ τυχόντα πράγματα.
 οὐθὺς γὰρ τὸ βίον τοιαύτω πεποιῶται
 τὴν ὑπόθεσιν, τοῖς ἢ ἀποδύοις ἔχῃ οἰόντες
 εἰ ἀρετῆς ἀμελεῖν, ἢ πολλὰς ἔχειν αὐτὸ ἐπι-
 πλήθοντες. πάντες γὰρ μισοῦσιν ἔχῃ ἔτω
 αὐτὸς ἔξαρτάνοντας, ὡς αὐτὸς ἐπιφκῆς μὲν
 φάσκοντας εἶναι, μηδὲν ἢ τῶν τυχόντων δια-
 αφέροντας, ἠκότως, ὅπερ γὰρ αὐτὸς ἔσθ' λό-
 γω μόνω ψυδουμένης, ἀποδοκιμάζομεν,
 ἢ περὶ αὐτὸ βίον παντὶ ἐλαττωμένης, ἔφαυ-
 λους εἶναι φησόμεν. δικαίως δ' αὖ αὐτὸς τοιού-
 τος ὑπολάβοιμεν, μὴ μόνον εἰς ἑαυτὸς ἀ-
 μαρτάνειν. ἀλλὰ καὶ εἰ τύχης εἶναι προδύ-
 τας: ἢ μὲν γὰρ αὐτοῖς χρήματα, καὶ δόξ-
 ξαν καὶ φίλους γνῶταῦται. οἱ δὲ σφῶς αὐ-
 τὸς ἀναξίως εἰ ὑπερχύσης οὐδαιμονίας
 κατατίθηται. εἰ ἢ δ' αὖ θνητὸν ὄντα εἰ τῶν θε-
 ῶν σοχάσθαι διανοίας, ἢ γῶμαι κακείνης

IIII.

V.

VI.

ὑπὸ τοῖς οἰκιστάτοις μάλιστ' ἀγλαῶσαι, πῶς
 ἔχουσι πρὸς αὐτὸ φαύλους, καὶ αὐτὸς ἀποδιδάσκων
 τῶν ἀνθρώπων. Ζεὺς γὰρ ἠρακλῆα, αἰ τὰντα
 λου γυμνῆσαι, ὡς οἱ μῦθοι λέγουσι, καὶ παύ
 τού τοισιδύσει: τὸν μὲν δὲ τὴν ἀρετὴν ἀθά
 νατον ἐποίησε. τὸν δὲ, δὲ τὴν ἰακίαν ταῖς
 μεγίσταις τιμωρίαις ἐκόλασεν. οἷς χρὴ πα
 ραδείγμασι χρωμένους ὀρεγεῖσθαι εἰ καλο
 καγαθίας. καὶ μὴ μόνον τοῖς ὑφ' ὑμῶν ἄρη
 μένοις ἐμμενῆν, ἀλλὰ καὶ τῶν ποιητῶν τὰ
 βέλτετα μαθητῶν, ἢ τῶν ἄλλων σοφιστῶν,
 εἴ τι χρήσιμον ἐρήκεσιν, ἀναγινώσκον. ὡ
 VII. σπὸν γὰρ τὴν μέλιτταν ὄρωμεν ἐφ' ἅπαν
 τα μὲν τὰ βλαστῆματα λαμβάνουσιν, ἀφ'
 ἐκάστου δὲ τὰ χρήσιμα λαμβάνουσιν, ὅτω χρὴ
 καὶ τοὺς παιδείας ὀρεγομένους, μηδ' ἄλλο μὲν
 ἀπέρως ἔχειν, πάνταχόθον δὲ τὰ χρήσιμα
 συλλέγειν. μόλις γὰρ ἀντις ἐκ ταύ
 της εἰ ἐπιμελείας τὰς εἰ φύ
 σεως ἀμαρτίας ἐπι
 κρατήσιν.

P R A E =

PRÆCEPTA MORVM AC VITAE ISOCRATIS AD DEMONICVM.

SENTENTIAE QVAE IN
præfatione.

Improborum societates exiguum tempus dissoluit, bonorum amicitias nulla longinquitas dirimit. I.

Liberi ut facultatum quæ à parentibus relictæ sunt omnium, ita etiam paternarum amicitiarum hæredes esse debent. II.

Nulla res uirtute præstantior, nulla possessio stabilior. Forma uel annis perit, uel morbo extinguitur. Diuitiæ magis uiciorum quam honestatis sunt administræ, quæ & ad ignauiam plenas habenas laxant, & adulescentes ad uoluptates stimulant. Robur si adiunctam habet prudentiam prodest, sed sine ea proprijs succumbit uiribus: & quantum dignitatis addit corpori, tantum uigoris detrahit ipsi menti. Virtus autem sola, in quorum animis firmas radices egerit, æternitate conseruatur, diuitijs diuturnior, nobilitate illustrior. Hæc sola quæ fieri non uidentur posse efficit, sola quæ terrori uulgo sunt, animose sustinet, torporem fugiens, laborem amplectens. III.

C 4 Quod

IIII.

Quod si patris tui uitam in memoriam reuocas, domestico abundas exemplo, in quod intuearis. Nunquam ille uirtutis studia omisit, neq; turpi mancipatus ocio fuit, sed corpus assiduis laborib. exercebat, animum tolerantia periculorum durabat. Opum quoq; nõ erat immodice studiosus, presentibus bonis fruens, quasi esset mortalis, & futurorum curam gerens tanquam immortalis. Neq; aut in uictu sordidus, aut in dādo timidus erat, sed & elegans, & magnificus, & amicis omnibus iucundus. Magis autem sui studiosos quam genere propinquos colebat; firmior enim est ad beneuolentiae coniunctionem, natura lege, mores genere, iudicium necessitate.

V.

Turpe est pictores effingere pulcritudinem animalium, liberos uero imitari non posse mores atq; uirtutem maiorum.

VI.

Corpora moderatis moribus corroborantur, animus doctrinae informatione augetur.

I.

Generalia præcepta totius uitæ.

Primum quidem religioso cultu Deum persequere, non solum sacrificiorum ceremonijs, sed & promissorum fide atq; constantia, in illo enim copia spectantur & facultates, ex hoc morum atq; uitæ iudicatur integritas.

II.

Erga Deum pius esto semper, neq; tibi nouum aut alienum accerse, sed quem ciues tui colunt, honore

nore affice, ita enim & religionem coles, & patriæ legibus obtemperabis.

III.

Talem animum parentibus præsta, qualem à liberis ipse expectas.

IIII.

Corpus crebro & moderate exerce, neq; tam roboris ac uirium caussa, quam coloris & bonæ ualetudinis. Tueri autem ualetudinem poteris, si adhuc integris uiribus, & labore nondum exhau- stis, modum exercitationibus statues.

V.

Neq; in risu immoderatus sis, neq; in oratione petulans: illud enim stulticiam prodit, hoc ostendit confidentiam.

VI.

Quæ turpiter & cum dedecore fiunt, ea ne dici quidem honeste possunt.

VII.

In uultu non insit barbara tristitia, sed eluceat cogitabunda seueritas: illud contumaciæ signum, hoc prudentiæ est indicium.

VIII.

Nihil cū modestia, pudore, integritate, frugali- tate comparandū puta: nam uera & perfecta ado- lescentiæ laus, ex his quasi fontibus proficiscitur.

IX.

Spe cælandi nihil indignum bonis moribus ad-

mitte, ut enim uulgus cales, te ipso iudice nocens eris.

X.

Deum metue. Parentes cole. Amicos reuerere. Legibus obtempera.

XI.

Voluptates sectare, quarum te non pudeat. Delectationem enim quam honestas efficit, nihil est liberalius: quam turpitudine parit, nihil usu foedius, nihil aspectu deformius.

XII.

Calumnias ne ioco quidem proba, uulgus enim non ueritate, sed opinione regitur.

XIII.

Sic uitae factorumque rationem institue, tanquam in conspectu omnium mortalium uiuas: quod enim ad exiguum tempus occultabis, longior tandem dies in apertum proferet.

XIII.

Plurimum opinionis tibi adiunges, si ea non facies, quae si ab alijs fortasse facta fuerint, merito reprehendas.

XV.

Si cupidus discendi eris, plurima etiam addisces.

XVI.

Quae studio consecutus es, meditatione conserua, quae scientiam tuam fugiunt, arte industriaque copara. Aequae enim turpe est salutaria praecipua
non

non audire, atq; amicorum præclara munera nol
le accipere.

XVII.

Quodcunq; tibi ætas ocij concedet, audiendo
discendoq; totum consume, Ita fiet, ut quod ab alijs
magno labore inuentum est, tu exigua omni-
no opera consequare.

XVIII.

Præceptionum numerum locupletibus copijs
anteponere: siquidem harum usus caducus & mo-
mentaneus est, illæ nulla temporis diuturnitate ui-
olantur. Sola enim rerum omnium æterna, atque
immortalis est sapientia.

XIX.

Peregrinationes longinquas suscipere ne detre-
ctes, ut præceptis uirorum sapientium melior eua-
das. Turpe enim est immensa transire maria, am-
plificandi rei gratia mercatores, & adolescentes
ne terra quidem proficisci ad eos, quorum uirtute
ac sapientia cultiores reddantur.

XX.

Moribus humanus, sermone affabilis esto. Hu-
manitatis enim est blandum in appellando, comi-
tatis in respondendo facilem esse.

XXI.

Facilis quidem esto omnibus, sed familiaris tan-
tum optimis, ita fiet, ut & illorum gratiam, &
horum concilies amicitiam.

Interpel-

XXII.

Interpellatiões neq; graues sint, neq; de iisdem rebus repetitæ. Rebus enim in omnib. est satietas.

XXIII.

Labores suscipe uoluntarios, ut assuescas necessarios ferre.

XXIII.

Quorum uiciorum seruitus turpis animo est, in ea imperium continentiae exerce, in lucrum, iram, uoluptatem, dolorem, horum enim dominatum sic assequere: Si lucrum putabis potius, id quod ad laudem, quam quod ad amplificandas fortunas pertinet. Si iratus, talem te ostendes in culpa aliorum, quales eos in tuis ipse delictis esse uelis. In usu uoluptatum, si dedecori duces, seruitijs imperare, parere libidibus. In fortunæ casibus atq; dolore, si alienæ calamitatis testis, te quoq; hominem esse memineris.

XXV.

Secreta tibi credita fidelius, quam pecuniam depositam custodi. Boni enim uiri moribus magis, quam iureiurando credi oportet.

XXVI.

Homini improbo qui nihil credit, et qui uiro probato fidem habet, is minime facit præter officium.

XXVII.

Quæ tecta esse cupis, nemini aperias, nisi eiusmodi res sint, ut & tibi qui dicas, & illis qui audiant, proferre sit perniciosum. Iusiu=

XXVIII.

Iusiurandum tibi delatum, duabus de causis accipe, primum ut te turpitudine & crimine, deinde amicum liberes periculo. Sed pecuniæ gratia, etiam si causas uincas, Deum testem nõ aduoca, alij enim te impium esse, alij auarum iudicabunt.

XXIX.

In amicitiam neminem facile admitte, nisi antea summo studio inquisieris, quomodo ueteres amicos suos coluerit. Quali enim fide in illos fuit, tali in te quoq; futurum puta.

XXX.

In contrahendis amicitijs tardior esto, contractas autem maxima religione cole, utrunq; enim reprehendi solet, & amicis destitutum esse, & subinde nouos eligere.

XXXI.

Cum incommodo amicos ne tentes, mores tamen ipsorum non ignores, quod tali consilio fortasse efficies, si antequam necessitas aliqua te premat, illorum auxilium simulate implores: item si ea quæ enunciare parum noceat, ueluti arcana quædam communices atq; credas, nam opinione deceptus, nihil mali incurres, non deceptus, mores illorum apertius cognosces.

XXXII.

Amicorum fides tum maxime cernitur, cū aut uita in periculum uocatur, aut quæritur miseriarum so-

rum socius. Aurum enim igne probamus, amicum malis cognoscimus.

XXXIII.

Usus amicitiarum iucundissimus est, quando non expectes donec ad te ueniatur, sed tua sponte necessitatibus occurras.

XXXIII.

In utroque maxima turpitudine est, & ab inimicis superari scelere, & ab amicis uinci beneficio.

XXXV.

Familiares delige eos, non solum qui in rebus aduersis tuis tristentur, sed etiam qui in secundis non inuideant. Multi enim amicorum uicem aduersam dolent, qui fortuna florente inuidia torquentur.

XXXVI.

Absentium memoriam coram praesentibus repete, ne praesentium, quando non assint, obliuisci uideare.

XXXVII.

Vestitu ad cultum, non ad luxum utere: cultus enim magnificentiam, luxus ostendit prodigalitatem.

XXXVIII.

Non immensas copias desidera, sed mediocribus bonis utere.

XXXIX.

Qui diuitiarum studio tenentur, & quaesitis opibus frui nesciunt, eos contemne. Similes enim sunt illi,

illi, qui bonum equum habet, equitandi imperitus.

XL.

Diuitias tibi compara pecunias & possessiones: per pecunias autem fruendi noticiam, per possessiones utendi modum intellige.

XLI.

Facultates tuas, duabus de causis, magni aestimato: ut & calamitatem ingentem sustineas, & amico bono laboranti opem feras. Reliqua in uita non cupiditatum, sed mediocritatis sint ministræ.

XLII.

Præsentem fortunam tolera, & mente percipe meliora.

XLIII.

Calamitoso non insultes, fortuna enim uaria est, & exitus rerum incerti.

XLIII.

Erga bonos beneficus esto, nam præclarus thesaurus est gratia, quæ à bono uiro expectatur.

XLV.

In improbos conferre beneficium est alienis canibus cibum dare, canes enim tam pascentem, quàm temere sibi obuium, sæpenumero allatrant: Improbi etiam itidem tam amicis prosunt, quam inimicis qui obsunt, malum afferunt.

XLVI.

Assentatores & impostores abominari oportet: nam credulitate uterq; utitur ad perniciem tuam.

Si audies

Si audies amicos tibi in re turpi gratificantes, non deerunt unquam qui te ad optima nitentem retardabunt.

XLVIII.

In consuetudine comis, non insolens esse uelis: horum enim elationem & tumorem uix tolerant serui, illorum suauitatem libentibus animis complectuntur omnes. Comitatem his artibus comparabis, si ad lites suscipiendas tardus sis, & ad deponendas iniurias facilis: Si in contentionibus non pugnas, in congressionibus non iracundus, etiamsi is qui contradicit, iniusta de causa moueatur: si eum adhuc ira incensum fueras, ad se reuersum grauitate reprehendas. Si in iocis non seuerus sis, neque in serijs ridiculus. Ineptiae enim sunt odiosae. Si ingrati gratiam non studeas imitari, quod multis accidit qui gratificantur quidem, sed cunctando officij gratiam effundunt. Si nec studiosus sis culpandi, quoniam graue: neque reprehendendi cupidus, quia acerbum.

XLIX.

Potandi consuetudinem, quantum potes, fuge: quod si in potantium greges incideris, antequam te uino deponant, surge atque abi. Menti enim uisus obruta, idem accidere uidemus, quod curribus auriga excusso: Currus enim spoliati rectore nullo ordine

lo ordine rapiuntur, animus quoque ratione orbatus, in multos errores incidit.

L.

Animi magnitudine immortalia sapias. Moderato facultatum usu te mortalem ostendas.

L I.

Modestiam immodestiae tanto magis antefere dam existima: quanto maius commodum alia scelera afferunt illis, qui perpetrāt. Immodestus enim ipse sibi damno est, quia saepenumero quod uerbis commisit, id factis & poenae grauitate persoluit.

L II.

Quorum amicitiam expetis, eorum honeste memineris, apud eos qui ipsis renuncient. Nam princeps ad amicitiam conciliandam, laus est: ad parandas inimicitias, uituperatio.

L III.

In consulendo rationem praeteritorum cum futuris confer, ex apertis enim tecta minimo negotio cognosci possunt.

L IIII.

In deliberando tardus, in exequerendo sis celer.

L V.

Optimum est à Deo felicitas, à nobismetipsis prudentia.

L VI.

De rebus, quas te libere proferre pudet, & tamen cum alijs communicare uis, sic tibi uerba faciendā

D ciendā

cienda sunt, tanquam de alieno negotio: ita & amicorum elicies sententiam, & teipsum alijs minus patefacies. Quem autem de tuis rebus consilium adhibere cupis, eiusdem in proprijs negocijs prudentiam precognosce. Nam qui ipse sibi male consulit, nunquam bene prospiciet alieno. Verum enimvero tum maxime recta & salutaria capies consilia, cum aliorum calamitates, ex inopia consilij ortas, spectaueris: sanitatis enim tuendae curam auget, grauis & molesti morbi recordatio.

LVII.

Principis tui mores imitere, & eius studia non reprehende: illo pacto uel cultor ipsius, uel emulador esse uidebere, ita & apud uulgus, honoratus, & apud principem eris acceptus.

LVIII.

Latas à principe tuo leges obserua, lex tamen firmissima tibi sit mos illius. Sicut enim in populari statu agentem, populi gratiam aucupari oportet, ita sub singulari potentia unius, eum qui imperat honorare conuenit.

LIX.

Magistratu aliquo tibi tradito, publicum munus nulli malo committe, illius enim improbitas tandem in tuam redundabit infamiam.

LX.

Magistratu fac decedas, non auctus facultatibus, sed cumulatus gloria. Omnibus enim copijs anteferen-

anteferenda est, honesta multitudinis existimatio.

LXI.

Improbis neq; in re ulla auxilium, nec in iudicijs patrocinium presta. Quisq; enim esse iudicatur talis, qualia negocia & facta tuetur.

LXII.

Danda opera est, ut alijs plus possis, sed tamen ab æquitate nunquã deflectas. Iusticia enim nõ ex indigētia, sed ex æquitate profecta, laudabilis est.

LXIII.

Tenues opes sine iniuria comparatas, maximis iniustorum copijs antepone: Tanto enim iusticia diuitijs potior aestimatur, quod hæ uiuis tantum ex abundantia adiumentũ afferunt, illa uero mortuis etiam splendorem nominis conciliat. Ad diuitias quoq; sæpissime mali perueniunt, sed iusticiae possessio solis bonis conceditur.

LXIII.

Qui iniuste sibi diuitias comparant, eos nõ imiteris, potius adiungas te illis, qui ob iusticiam periclitantur. Quod si iustus iniustum nulla re alia uincit, tamen spe meliore seipsum consolatur.

LXV.

Cum omnia quæ ad uitam pertinent curaueris, tum uel maxime prudentiæ cultum non omittite: quia in re minima maximum est, in humano corpore mens bona.

LXVI.

D 2

Corpus

Corpus laborum patientia exerce, animum studijs sapientiae excole, ut & illo quod decreuisti perficere, hoc uero quod utile est, possis prouidere.

LXVII.

Quod dicturus es, antequam proferas, animo meditare: quoniam multorum cogitationes lingua anteuertit.

LXVIII.

Nihil homini proprium in uita datum puta, sic enim neq; secunda te efferet, neq; aduersa fortuna facile franget.

LXIX.

Duo tempora ad dicendum sunt eligenda, unū cum de rebus tibi cognitis sermo est: alterū cum loquendi necessitas incumbit: His enim, solis sermo laudatur, silentiū reprehenditur: reliquis temporibus omnibus tacere quam loqui est utilius.

LXX.

Si boni quid nactus es, gaude: sin mali quid moderate dole, quemcunq; autem casum in alijs fortuna dederit, cæla. Quid enim absurdius est, quam tecta domi facultatum custodia, animi uero cogitatio & sensus foris omnibus expositus.

LXXI.

Maiore studio infamiam, quam periculum aliquod fuge: malis enim terrorem incutit mors, honestis uero uitæ turpitude.

LXXII.

Vitana

Vitam tuam in primis elige, qua si perfrui tibi non licet, in bello salutem gloriosam quare, remotam ab ignominie macula. Mortem enim in omnibus communem fati ipsius constituit necessitas, sed pulcram mortem uiris tantum fortibus propriam natura esse uoluit.

SENTENTIAE QVAE IN
Epilogo.

Vt pleriq; cibus magis suauibus & gratis, quã salubribus atq; commodis delectantur: ita inuenire homines est, qui plus tribuant amicis ijs, quos libidinum socios, quam quos morum correctores habeant. I.

Qui ipse sibi hanc legem praescribit, ut ex uirtute omnia faciat: is aliorum etiam monita, animo libentissimo audiet. II.

Maximum ad uirtutem calcar habet illius uoluptatis meditatio, quae pura, sincera ex honestate percipitur. Quod si ocio & luxuria animus diffluit, subito uoluptatem dolor aliquis concomitatur: sin in studio uirtutis morumq; disciplina occupatur, ueris atq; diuturnis perfruitur delectationibus. Et illic gaudium doloribus permutatur, hic uero molestia uoluptate compensatur. III.

Non tanta est in rebus incoandis memoria, IIII.

D 3 quantus

quantus in percipiendo exitu doloris sensus: plæ-
ræq; enim hominum actiones non per se, sed eo-
rum quæ sequuntur gratia, suscipi solent.

V. Non peræque odimus illos, qui interdum labun-
tur, atque eos qui cum profiteantur honestatem,
nulla tamen uirtutis laude cæteris antecellunt.

VI. Si mortali fas est deorum consilia inquirere, ex
factis ipsorum erga eos, quibus amice usi sunt, con-
stare puto, quod sit inter malos bonosq; discrimẽ.
Iupiter enim cū Herculem Tantalumq; genuerit,
ut fabulæ ipsæ loquuntur, omnibusq; persuasum
est, illum quidem quod uirtutem coleret, cælo do-
nauit: hunc uero propter scelera pœnis maximis
afflixit.

VII. Quemadmodum uidemus apem uarijs insiden-
tem floribus, de singulis carpere quod est bellissi-
mum, ita literarum studiosum nihil intentatum re-
linquere, sed utilissima quæq; colligere unde-
cunq; oportet: uix enim illa ipsa dili-
gentia, naturæ labes po-
terunt emen-
dari.



DE CA=

DE CALENDIS,
NONIS, ET IDIBVS.

Calendæ, Nonæ, Idus, unde sint
dictæ, scribit Macrobius Satur.
I. Cap. XV.

Ordine non recto, sed inuerso nu-
merandum.

Dies ante Calendas, si in Ianuario
numerentur, intelligimus ante Calen-
das Feb. & ita scribimus.

Primo non dicitur, sed Calendis,
Nonis, Idibus, ut nunc solemus. Ve-
teres, ex ad Calendas, Nonas, Idus.
Vel, Ex ante diem Calendarum, No-
narum, Iduum, Ita enim & apud Ci-
ceronem legitur.

Secundo non dicitur, sed pridie
Calendas, Nonas, Idus. Ita & po-
stridie Calendas, pro IIII. Non. di-
cere possumus, & ita deinceps in re-
liquis.

Quod si progrediamur numeran-
do, ubi nos hodie III. KL. ueteres

D 4 duo

duobus modis efferebant. VNO,
 Ex ad III. KL. id est, ex eo die qui
 dicitur ad III. KL. ALTERO,
 A. D. III. KL. id est, ante diem
 tertium Calendarum, hoc est, die ter-
 tio ante KL. & sic in reliquis. Vete-
 rum ratio facilior est, & apertior, re-
 centiorum breuior, magisque concisa.

VERSUS.

*Sex Nonas Maius, October, Iulius, & Mars
 Quatuor at reliqui. Tenet Idus quilibet octo.
 Iunius, Aprilis, Septemq;, Nouemq; tricen^{os}
 Vnum addat reliquis at Februus octo uicenos.*

DE CONSTRV
CTIONE PARTIVM
ORATIONIS.

REGVLA I.

A Diectiuum, pronomen, partici-
pium & substantiuum, eodem
genere, numero & casu coherent, ut:
Bonus uir. Bona fama. Bonum ui-
num. Meus pater. Tua mater. Lecta
epistola.

II.

Vocatiuus toti orationi præponi-
tur, ut: Huc ades ô Melibœe.

III.

Nominatiuus præcedat Verbum
personale Finitum simili numero &
persona: Cuius quæstio est, Quis?
ut: Præceptor legit.

IIII.

Accusatiuus præcedit uerbum in-
finitum, ut: Credo præceptorem le-
gere.

V.

D 5

Dictio

Dictio affiscit genitium, si apte
quæri potest, Cuius? ut: Domus pa-
tris. Auidus laudis. Miseret me tui.

VI.

Dictio affiscit Dativum, si apte
quæri potest, Cui? ut: Similis patri.
Do tibi.

EXCIPIUNTUR.

Iuvo, Sequor, Imitor.

VII.

Omne uerbum affiscit Accusa-
tium, si apte quæri potest, Quem
uel Quid? ut: Amo te. Aedifico do-
mum.

VIII.

Omne uerbum affiscit Ablati-
uum causæ uel instrumenti, si apte
quæri potest, *Woraus?* *Warumb?*
Womit? *Wodurch?* ut: Verberat
me odio. Placeo obsequio. Iuvo te
consilio.

IX.

Omne uerbū affiscit Ablatium
precij, si apte quæri potest, Quanti?
ut:

ut: Emi librum aureo.

EXCIPIUNTUR.

Genitiui, Tanti, Pluris, Minoris.

X.

Omne uerbum acciscit Genitiuū urbis uel oppidi singularem, primæ uel secundæ declinatiōis, si apte quæri potest, Vbi: ut: Fui Romæ. Habitat Brundusij.

Adduntur Genitiui, Domi, Belli, Militiæ, & Humi. Nam si nomen plurale fuerit uel tertiæ declinationis in Ablatio aut Datio ponetur, ut: Fui Venetijs. Habitat Carthagine uel Carthagini. Additur datus Ruri.

XI.

Omne uerbum acciscit Accusatiuum loci, si apte quæri potest, Quo: ut: Eo Romam, Brundusium, Venetias. Adduntur Accusatiui, Domum, Rus.

XII.

Omne uerbum acciscit Ablatiuū loci si apte quæri potest, Vnde: ut: Venio

nio Roma, Brundusio, Venetijs. Ad-
duntur ablatiui, Domo, Rure.

XIII.

Omne uerbum assciscit Accusati-
uum temporis, si apte quæri potest,
Quam diu: ut: Scripsit totam horam.

XIII.

Omne uerbum requirit Ablatiuū
temporis, si apte quæri potest, Quan-
do: ut: Veni hora tertia.

XV.

Infinitiui adduntur uerbis signifi-
cantibus qualemunque sensum aut
uoluntatem, aut facultatem, ut: Au-
dio te ægrotare. Aueo scire. Non
possum adesse.

XVI.

Participium imitatur sui uerbi con-
structionem, ut: Amans Deum. Ae-
dificans domum.

XVII.

Aduerbum declarat significatio-
nem uerbi, participij, nominis adiecti-
ui, alterius aduerbij, ut: Auide expe-
ctio,

cto. Expectans auide. Insigniter impudens.

XVIII.

Coniunctio aut similes dictiones coniungit, aut orationem nouam superiori attexit, ut: Socrates & Plato. Veniam ad te si potero.

XIX.

Præpositio seruit Accusatiuo, Ablatiuo, utriusque casui, ut: Apud patrem. A doctis. In templum & in templo.


XX.

Interiectiones exclamantes cum Vocatiuo uel Accusatiuo construuntur, ut: Proh dii immortales. Proh deum atque hominum fidem.

FINIS.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.







179.

Gc 977

ULB Halle
003 609 251 3



Slc


ME





SIC PEREANT OMNES INI
MICI TVI DOMINE





15.

LVDVS LI-
TERARVM APVD

CHEMNICIVM MISNIAE, QVA
RATIONE ADMINI-
STRATA STRETVR,

ADAMI SIBERI.

Ca 1712

ITEM,
PRAECEPTA MORVM
ac vitæ Isocratis ad Demoni-
cum, cum interpre-
tatione
ANDREAE SIDELII.

De Calendis, Nonis, Idibus, quomodo ue-
terum & usitato more scribantur.

*Syntaxis partium Orationis, omnium
breuissima.*

LIPSIÆ

IN OFFICINA HAEREDVM
VALENTINI PAPAE.

ANNO

M. D. LXI.

